&ad bonam mentem promouendo,præ me fero propenſiſſimum & ardentiſſimum ſtudium, prorſus abiicerem, niſi quam iſti ingerere Tibi poſſent cogitationem, Dominicanæ Religionis delectu, nouiſſima peiora prioribus facta eſſe, diligenter & validè ſemouerem, vt ſi quid ſcandali Religionem Chriſtianam amplexus patiaris, non à Familiæ, cui nomen dediſti, ſed ab illius æmulorum vitio ipſe ſentias contigiſſe. Non abnuo, ſi vera eſſent, quæ improperantur Dominicanis, quin meritò Te pœnitere poſſet, & pudere tuæ profeſſionis. At ſi ea ſit illius ſanctitas & gloria, vt ab acerrimis Aduerſariis nugis ſolum, & apertis calumniis potuerit laceſſiri, quamuis diſſimulare nequeam hinc grauiſſimum ſcandalum naſci,&exclamare etiam cogar, *væ illis, per quos ſcandalum venit*: Tuum tamen, & æqui Chriſtiani Lectoris iudicium eſto, vnde id genus offendiculorum ſit,cuive imputandum; an iis qui gratis & atrociſſimè laceſſunt, an iis, qui ſe neceſſariò tutantur. Illi quidem monſtroſis nos accuſationibus appetunt, & perdendos putant; libris editis hæc portenta euulgant, nec vnâ editione contenti, quamuis non ſit multitudo, ſed ſumma ſterilitas in commutationibus illorum, nullis tamen laboribus, nullis expenſis parcunt, homines etiam altiſſimæ paupertatis, nouis editionibus moliendis, & ſuis longè lateque ſpargendis calumniis. Et quamuis Romæ, in Hiſpaniâ, & vbique terrarum damnentur eorum libri, nedum Eccleſiaſticis, ſed etiam ſenatoriis decretis, nihil iſta morantur, & quibus deterreri oportebat pœnis,